



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Postilla, Das ist/ Ausslegung der Euangelien so nach alter  
Catholischer Römischer Kirchen/ vnd der H. Vätter Lehr  
vnd Meynung/ auff alle Sontäg durchs Jahr gepredigt vnd  
außgelegt werden ...**

**Hesselbach, Johann**

**Meyntz, M. DC. XVIII.**

Reverendissimo Ac Illvstrissimo Principi Ac Domino, D. Ioan. Gotfrido,  
Bambergensi & VVirceburgensi Episcopo, Franconiæ Duci, &c. Principi ac  
Domino suo clementissimo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75708)



REVERENDISSIMO AC ILLVSTRISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,

D. IOAN. GOTFRIDO,

Bambergensi & VVirceburgensi Episcopo, Fran-  
conia Ducis, &c. Principi ac Domino suo  
clementissimo.



AVDIGNORO, REVEREN-  
dissime ac illustrissime Princeps, qua  
gravis aduersaria cōstituta sit us, qua  
que ancipitē Iudiciorū aleam subire  
cogatur, qui hoc eruditissimo seculo  
aliquid publicis literis consignare &  
tradere volunt: Quam ob causam  
nunquam cogitassem faciendum, vt aliquod singulare  
otij mei literarij monumentum extaret, nisi ad con-  
fortandum me accessisset, me non primum, qui Iudicio  
aliorum opprimatur, esse, nec postremum fore, recorda-  
tio, sed & antehac ingenij acutissimis doctissimisq; ac-  
cidit, cuius rei conscientia cuiuslibet testis est: ô quoties  
ab ipso Salvatore nostro dicta, ab Apostolis suis & Euā-  
gelistis scripta & prædicata à paganis in postremis habi-  
ta sunt! Quis ab hominū memoria ex omnibus sanctis  
Patribus reliquisque doctissimis viris fuit, qui tam do-  
ctè tamque absolutè, vt nihil amplius desiderari possit,  
his de rebus scripserit? Profecto nihil tam doctè, tam  
absolutè, tamque eloquenter etiam ab excellentissimis  
doctoribus hac in causa dictum est, quod non doctius,  
non absolutius nec eloquentius dici possit: Ideò nec e-  
go omnia absolutè hac in parte dicere valebo, nec co-  
natus sum.

Sed cum vidèrem, hæreticos huius temporis novas  
doctrinas abhorrentes ab antiquarum & in sacrosan-  
ctis Concilijs Patrum receptarum traditionum litera,  
in concionibus suis tractare, quæ populo peruerso ma-  
ximè

ximè probarentur , volui & ipsemet non tamen propria confidentia minus arrogantiâ adductus, sed aliorum instinctu & consilijs commotus, argumenta, quæ hætenus in cõtrariam partem tenui, edere in vulgus, placuitq; Postilla (ita enim accepi à doctis & vsus obtinuit) appellare, & dicitur Postilla, quia sequitur Post Illa scilicet verba Euangelij. Priori parte saltem tentavi, possemne proferre in lucem conciones, quæ alijs gratæ fuerint, promissique pergere, alteramque partem publicis typis edere, si alijs gratas & acceptas fore perspexero, cum verò boni quidam Catholici mirè illis delectari viderim, pergendum & quod verbis pollicitus sum re præstandum duxi. Et si mihi omnia essent solutissima, præsens illum diem mihi acceptatissimum videre optarem, (quo nihil mihi acceptius cadere posset) quando de controuersijs Christianæ fidei aduersus huius temporis hæreticos ex professo tractare deberem, facerem ego hoc idem non solum fortiter & libenter, verum etiam diligenter, vt tanto minus nomine hæreseos, quod à teneris annis gessi, sim suspectus, (nec ita grauiter errassem, si ducem ac moderatorem aliquem puer habuissem) cupiditatemque hanc inuehi in hæreticos etiam dies auget. Et licet ab ineunte ætate Lutheranorum errorem fouerim, Catholicorum tamen argumentis validis (D.E.O laus) omninò depulsus sum, præsertim cum animaduertirem, aduersariorum nostrorū sententias, quas aduersus nos Catholicos tenent, solum primo aspectui blandiri, cum tamen nullo fundamento sacrarum literarum nitantur: neque earum doctrinarum vllam cogitationem habuerūt Apostoli, minus Patres, qui tam præclara de rebus diuinis scripta nobis reliquerunt, quorum sententia apud eos, qui rectè iudicant, magnum pondus habet, nec fas est à Patrum sanctorum vnanimi consensu ita discedere.

Quare iustum ac necessarium esse statui hanc provinciam suscipere, & paradoxa illa tam mala reprimere,

mere, quod eo libentius feci, cum scirem, bonis Catholicis hanc rem tam gratam quam gratissimam futuram esse, magnaue expectatione à multis expectari. Nul- lum autem sequar hac in re florem orationis, nec dilatabo quicquam, sed minutis interrogatiunculis & quasi punctis, styloque populari quæ proposui efficiam, alia est enim cancellistarum, alia concionatorum oratio: Solent enim quidam sua peruersa ac dubia oratoriis quibusdam ornamentis adhibitis proponere, vt habeantur recta ac indubitata, nihil enim est tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile, nihil tam horridum tamq; incultum, quod non splendescat oratione & quasi excolatur: Cum vero hæc recta & indubitata sint, oratoria ista ornamenta adeo non desiderant.

Est autem cur in Celsitudinis vestrae nomine hæc apparere volui, tum ob Patriam hanc, cuius C. V. gaudium & splendor est, tum quia C. V. non solum apud subditos, sed etiam apud externos laudibus floret, quod magnæ mihi Postillisque meis gloriæ existimaui, meq; his tanta plura apud alios consequuturum, si Celsitudi- ni V. dedicata fuerint, cui tantum debemus quantum persequere difficile est: Celsitudini quoq; V. omne studium & operam meam sine vlla exceptione aut laboris aut occupationis libenter pollicebor, & quidquid valeo Celsitudini V. valebo, ad quam etiã vniuersum studium meum deferam. Propterea etiam volui Celsitudi- nem V. degustare hoc genus exercitationum mearum, quibus vti consueui, quia C. V. contendit, vt in pristinum Religionis statum Bambergenses vindicaret, quod etiam consequuta est concionibus diuinis, ideoque Celsitudinem V. Iucunditatem ex his capturam speraui. Et cum ad Celsitudinis V. fortunam & dignitatẽ etiam Episcopatus VVirceburgensis ducatusque Franconiæ additus sit, omnes ciues totaque Franconia incredibilem lætitiã inde hauserunt, quod Principem ab omni cupiditate remotum, qui rebus ad vtilitatem Episcopatus salutemque subdito-

rum spectantibus totus incumbat, virtutumq; suarum specimen apud Bambergenses dederit, in quorum Episcopatus munere præclare se tractauerit, nacti sint; Egoque Celsitudinis Vestræ laudi dignitatiq; huic mirum in modum cupiam, à me ipso impetrare non potui, quin Celsitudini V. hæc dedicarem, Celsitudinique V. gratularer, quæ dedicatio Postilla mea laudibus (vt spero) illustrabit.

Supplex tanto animi labore à Celsitudine V. peto, quanto intelligit debere me à se petere, vt hunc librum accipiat, non qua eruditione à me scriptus est, nō enim existimationi eruditionique vestræ respondet, sed vt accipiat, quo animo Celsitudini V. à me dedicatus est.

Deus opt. Max. seruet Celsitudinem V. nobis diu saluam & incolumem, vt Episcopatum Bambergensem adhuc languentem & defessum ad pristinam virtutem consuetudinemq; (quemadmodum incepit) reuocare possit, quod ego valde ex animo à Deo contendo.

*Addictissimus & obsequentissimus Vicarius  
in Prelsdorf.*

IOHANNES HESSELBACH  
hæc dedicat & offert.

An